

praeterea potissimum eos praeesse oportere, qui periti  
 sint rerum rusticarum. non solum enim debere im-  
 perare, sed etiam facere, ut facientem imitetur et ut  
 animadvertisat eum cum causa sibi praeesse, quod  
 5 scientia praestet. neque illis concedendum ita im-  
 perare, ut verberibus coerceant potius quam verbis, si  
 modo idem efficere possis. neque eiusdem nationis  
 plures parandos esse: ex eo enim potissimum solere  
 10 offendentes domesticas fieri. praefectos alacriores fa-  
 ciendum praemiis [ad facienda] dandaque opera ut  
 habeant peculum et coniunctas conservas, e quibus  
 habeant filios. eo enim fiunt firmiores ac coniuncti-  
 ores fundo. itaque propter has cognationes Epiroticae  
 6 familiae sunt inlustriores ac cariores. in<1>iciendam vo-  
 luntatem praefectorum honore aliquo habendo, et de  
 15 operariis qui praestabunt alios, communicandum quo-  
 que cum his, quae facienda sint opera, quod, ita cum  
 fit, minus se putant despici atque aliquo numero haberi  
 7 a domino. studiosiores ad opus fieri liberalius trac-  
 tando aut cibariis aut vestitu largiore aut remissione  
 20 operis concessione, ut peculiare aliquid in fundo  
 pascere liceat, huiuscmodi rerum aliis, ut quibus  
 quid gravius sit imperatum aut animadversum qui,  
 consolando eorum restituat voluntatem ac benevolen-  
 tiam in dominum.  
 25

XVIII De familia Cato (10. 11) derigit ad duas metas, ad cer-  
 tum modum agri et genus sationis, scribens de olivetis et  
 vineis ut duas formulas: unam, in qua praecipit, quo  
 modo olivetum agri iugera CCXL instruere oporteat.  
 dicit enim in eo modo haec mancipia XIII habenda,  
 30 vilicum, vilicam, operarios v, bubulcos III, asinarium I,  
 subulcum I, opilionem I. alteram formulam scribit de  
 vinearum iugeribus c, ut dicat haberi oportere haec

<sup>1</sup> oportere *Keil.* oportet || 4 cum causas ibi || 10\* del. *Iucundus* || 14 add. *I. F. Gronov* (iniciendum *ex codice errore ad notaverat Victorius*) | voluntatem *Victorius.* voluptatem || 21 ali-  
 quit ||